IN LAVDEM
B. LVDOVICI BERTRANDI
ORD. PRÆDICATORVM
ORATIO
P. D. IO. BAPTISTÆ CASTALDI
Clerici Regularis.

HABITA FLORENTIÆ.

IN DOMINICANA ECCLESIA SANCTI MARCI

Quo die primùm Apostolica facultate Beatus solemniter colebatur.

FLORENTIÆ, Apud Iuntas. 1611.
Superiorum permissu.

Pag.	Verſ.	Errata	Corrige.
7	13	*Spirito*	*ſpiritu.*
8	8	*impiguatus*	*impinguatus*
12	23	*Deum*	*eum*
17	4	*Danes*	*Dæmones*
	23	*quòd*	*quod*
19	25	*mendarem*	*mendacem*
21	22	*Nazarens*	*Nazarens*
23	10	*vidit, immiſſo*	*vidit, quæ immiſſo*
24	3	*opulenta, quam*	*opulenta, ad quam.*
27	8	*ſcola*	*ſchola*
29	24	*fortitudis*	*fortitudinis*
30	4	*centrſimum*	*centeſimum.*

Reliqua quæ pertinent ad rectam ſcribendi, & interpungendi rationem, diligens Lector per ſe emendabit.

IESV CHRISTI GLORIÆ.

ORATIO.

SI QVAM dicendi facultatem, si quod humanum ingenium posse satis exequi supernorum ciuium praeclara merita existimarem, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, & viuent in æternum, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, vt regnent cum Deo, & Agnus Dei cum illis: Non ego apud Phil.3. Eccl.44. Apo.19

2

vos (Illustrissime Praesul, deuotiss. Auditores) B. LVDOVICI Bertrandi Ordinis Praedicatorum, viri eximiae sanctitatis, virtutum, & miraculorum gloria illustris, nuper Apostolica benignitate Beatorum numero adscripti, exiguis dicendi viribus, celeberrima sanctitatis monimenta, merita, & miracula magno virtutis splēdore coruscantia, pandere praesumerem.

S. Leo. PP. ser. 9. de nat. Domin. Excedit quidē dilectissimi, multūq; supereminet humani eloquij facultatem, Diuini operis magnitudo in Beato isto. Et bonum est quod vincimur. Sed vnde oritur difficultas fandi, inde adest ratio non

4. Reg. 7 tacendi, nè si tacuerimus sceleris arguamur.

Tob. 12. Enimuerò Sacramentum Regis abscondere bonum est, Dei verò opera reuelare, & confiteri honorificum est.

S. Thom. Aquin. Idcircò quantum possumus, tantum & audere debemus, nè minus amori lingua

S. Aug. tra. 123 in Io seruiat, quàm timori. Nunquam legistis,

Eccl. 44. Laudemus viros gloriosos, homines diuites in virtute, pulchritudinis studium ha

2. pe. pr. bentes? Habemus, & firmiorem, non dico propheticum, sed Dominicum sermonem,

nem,

nem, cui bene facimus attendentes, Ne- *Matth. 5*
mo accendit lucernam, & ponit eam ſub
modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat
omnibus qui in domo ſunt.

Ergo iuſtũ,& rationabile,& veræ pieta- *S. Leo PP. ſer.*
tis obſequium eſt,totò cordis,ac mentis af- *ſer. 4. de*
fectu, & vocis miniſterio perſonare quæ *Epiph.*
mirabilia fecit Deus in ſancto ſuo. Ergo *Gregor. PP. in*
non erit præſumptio, ſed humilis, ſed pia *præcon. Paſc.*
deuotio, ſi Beati Lũdouici confiſa ſuf- *Pſ. 97.*
fragijs, exultauerit lingua mea iuſtitiam *Pſ. 50.*
eius, ſi os meum annuntiauerit laudem
illius, & laudauero eum, qui fecit mira- *Eccl. 31.*
bilia in vita ſua. In ſeculo natus, In Re- *S. Ath. in ſimb.*
ligione Deo dicatus, apud infidos, & fi- *S. Amb.*
deles, viuus, & mortuus, Imò, vt verius *ſer. 21.*
dicam beata,& ſempiterna vita viuens. *in Pſal. 118.*
Quę dum enarrare incipio,volũtaria oris *Pſ. 118.*
mei beneplacita fac Domine,reuela oculos
meos, & conſiderabo mirabilia de ſer-
uo tuo, & ſic auditas faciam omnes lau- *Pſ. 105*
des eius.

Illud in primis memorandũ,& miran-
dum, continuus dolor cordis eius, triſti- *Rom. 9.*
tia magna nimis. nam ab infantia, & vſ-

Pſ.70. que in ſenectam, & ſeniũ in hac lacryma-
Pſ.41. rũ valle,lacrymæ fuerunt illi panes, die ac
Thre.1. nocte,& lacrymæ eius in maxillis eius,nec
Thre.2. tacebat pupilla oculi ſui, deducendo quaſi
torrentem,lacrymas per diẽ, & noctẽ. Sed
Ier.2. obſtupeſcite quæſo ſuper hoc, & pueri va-
gientis præſagium, admiramini vehemen-
Thre.pr. ter. Dum enim plorans ploraret, nec à
Ier.31. ploratu vox quieſceret,neq; oculi à lacry-
mis, tunc maximè tranquillabatur,iucun-
dabatur,perfruebatur,quãdo ad Eccleſiam
delato,ſanctorum imagines oſtendebant.
Io.20. Quod ſi quandoque fores eſſent clauſæ,
Sanctorum, & Apoſtolorum præcipuè ſi-
mulacris quæ foris erant, mirum inmo-
Io.2. dum oblectabatur. Quod fuit initium ſi-
gnorum futuræ ſanctitatis eius, & manife-
ſtare cœpit Dominus gloriam ſerui ſui. Ex
tunc enim primitias ſpiritus videbatur ha
Rom.8. bere, qui poſtulat pro nobis gemitibus in-
nenarrabilibus. Et præfigurabat quod tan-
diù intra ſe gemere non deſiſteret,adoptio
nem filiorum Dei expectans, redemptio-
Pſa.72. nem corporis ſui, Donec intraret in San-
Matt.25 ctuarium Dei; In gaudium Domini ſui

In-

Intra Paradisi amena virentia: In tabernaculo admirabili. Gaudio magno valde. Vbi neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor, sed in voce exultationis, & confessionis sonus epulantis. Ibiq; cum beatissimis spiritibus, gloriæ conditoris assisteret, & præsentẽ Dei vultum cerneret, & sic intelligeremus, quod iam beatum fecerat in terra, quem postea beatificauit in gloria. Nã si iuxta Domini Verbum, Beati qui lugent, Beati qui nunc fletis, cur non Beatum, & verè Beatum dixerim, quem cibauit pane lacrymarum, & potum dedit ei in lacrymis in mensura? *Psa. 41. Matt. 2. Apo. 21 Psal. 41. S. Greg. PP. ho. 37. in Euang. Ps. 40. Eccl. 45. Matt. 5. Luc. 6. Ps. 79.*

Qui & in pueritia sua, viã veritatis quam tenere cœperat non deseruit; nihil enim puerile gerebat in opere, præferebat in ore proferebat de corde. agebat senem moribus annis puer, fugiebat consortia hominum, pergebat ad Templũ Domini, Orationi instabat, necessitatibus sanctorum communicabat, curam carnis non faciebat in desiderijs, sed spiritu ambulabat, & desideria carnis non perficiebat. *Tob. 1. S. Ber. de S. Malac. Tob. 1. Rom. 12. Rom. 13 Gal. 5.*

Iam tũc cautus fuit declinare virus virtutum, *S. Ber. de S. Malac.*

batur nocte cum corde suo, exercebatur, & scopebat spiritum suum, vt à corporeis cupiditatibus liber, in aula mentis posset Diuinæ vacare Sapientiæ, omni strepitu terrenarum silente curarum. S. Leo. Pp. ser. ieiu. 10. men.

A facie iræ, & indignationis Dei, quas præ oculis semper habebat, deficiebat in dolore vita eius, & anni eius in gemitibus, horror nimius irruebat super eum, deficiebant pr ę lacrymis oculi eius, concutiebantur omnia ossa illius; Quis audiuit vnquam tale? Contritum est cor eius in medio sui à memoria iræ furoris Domini, à recordatione Iudicij magni Diei. Ps. 101. Ps. 30. Dan. 7. Thr. 2. Ier. 28. Isa. 66. Thre. 28 Thre. 2. Iud. apo. 1. Pe. 4.

Christi passionibus tanto cum affectu communicabat, vt sentiret in semetipso, quæ & in Christo IESV, adimplens quæ deerant passionum Christi in carne sua; In summa vitæ asperitate, Cilicijs, disciplinis vsque ad immanem excruciationem, ad sanguinis effusionem decurrentis in terram; in plagis supra modum, in labore, & ęrumna, in vigilijs multis in fame, & siti, in ieiunijs multis in frigore, & nuditate, præter Phil. 2. Col. 1. S. Aug. trac. 27. in Io. Luc. 23. 2. Cor. 11.

illa, quæ extrinsecus sunt, Instantia quotidiana, sollicitudo Nouitiorum.

Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, Nutritium, & solatium, vt det illi cibum in tempore, panem vitę, & intellectus, aquam sapientiæ salutaris, vt dirigat in viam pacis, pedes filiorum suorum, & pedes eorum seruet, ne velut impij in tenebris conticescant, sed sint sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ Domini, & sicut Stellæ in perpetuas ęternitates.

Mat. 24 *S. Bern. de S. Io-segh.* *Eccl. 15* *Luc. pri.* *1. Re. 2.* *Ps. 126.* *Dan. 12.*

Constitutus autem Pater super Fratres suos, Domui suæ benè Præpositus, nimio zelo, ac tota virtute studebat, verbo, & exemplo commisso sibi gregi proficere, & soli Deo placere nõ respiciens personas hominum. Quapropter illud ante oculos omnium scriptum obiecit; Si hominibus placerem. Christi seruus non essem. Nihil ergo eo vigilantius, nihil prudentius, zelo, & monasticha disciplina superauit omnes.

Ps. 2. *1. Tim. 3* *Mat. 22* *Gal. 1.*

Et nihilominus, de se tàm humiliter sen-

Ps. 130.

ſentiebat, vt confeſtim eà dignitate preſ-
ſus, ad imaginem Sancti Vincentij
Confeſſoris, in quem mirabiliter af- S. Augu.
fectus erat, deuotus aufugerit, vehe- ſer. 44.
mentius orans, vt onus benignè ſubire de ſanct.
dignaretur, quod offerebat, ſe tantùm
miniſtrum exhibens, voluntàti eius ob-
ſequturum, & tunc ad pedes dum pro-
cumberet oſculandos, proh mirum, proh
ſtupor, inclinauit ſe ſanctus, & erexit
illum, qui in ſuo munere poſtea obeun-
do, ſupergreſſus eſt vniuerſos, nec eſt in- Pro. 31.
uentus ſimilis illi. Eccl. 44.

Et hæc quidem adfaciendam miſeri- Luc. 1.
cordiam cum fratribus ſuis. Sed quid
dicam cum populo barbaro, populo qui Pſ. 113.
ambulabat in tenebris, Indis inquam? Iſ. 9.
Non ſunt loquelæ, neque ſermones: Pſ. 18.
Exultabat, vt gigas ad currendam viam,
ſeminare ſemen ſanctum, in gente S. Ber. de
non ſancta, dare populo rudi, ſine le- S. Malac.
ge viuenti, legem vitæ, & diſciplinæ,
loquebatur varijs linguis, magnalia Dei, Eccl. 45.
conuertens animas de die in diem faci- Act. 2.
tans praua indirecta, & aſpera in vias Pſ. 18.
Pſ. 75.
Luc. 3.

planas, parare domino plebem perfe-
Ecc. 45. ctam. Ideo iure iurando, fecit illum Dominus crescere in plebem suam, benedictionem illarum gentium dedit il-
Ps. 105. li, quæ crediderunt verbis eius, ac propterea non seruierunt amplius sculptili-
Io. 6. bus suis, videntes signa, & mirabilia quę
Act. 2. faciebat. Qui ergo receperunt sermonem eius baptizati sunt, quorum non est nu-
Act. 11. merus. Quæ autem appositæ sunt in opido quodam, Regionis illius, fuerunt plusquàm mille quingentę animæ, tur-
Phil. 4. ba multa Domino, Gaudiùm, corona, & hæreditas serui Dei.

S. Leo. Tp. de S. Laur. Qui cum multiplicem sibi prædam, de vnius viri conuersione promitteret, quem si fecisset veri Dei cultorem, faceret etiam falsæ religionis exortem, per biennium incredibili pœnitentia se exercens, preces Domino continuas deferebat, vt agnita veritatis luce, quæ Christus est, à suis tenebris erueretur. Nec
Ps. 84. oratio eius, ad Deum vacua est reuersa,
1. Cor. 7. nam sanctificatus est vir infidelis, per virum fidelem, & relictis Idolis suis,

conuerſus eſt ad Deum viuum, & verum, O victoria inuincibilis fidei, ò poteſtas inuicta perſeuerantis orationis, ò nobile tropheum pœnitentiæ, ò triumphus glorioſus zeli Dei. Propter quem non parcebat ſibi in laboribus plurimis, in itineribus ſępe, in periculis abundanter, in quibus mirificabat Dominus ſanctum ſuum, vt faceret mirabilia in vita ſua, ſigna, & prodigia multa. 2. cor. 11 Pſ. 73. Eccl. 31.

In ſolitudinibus, in montibus, & ſpeluncis, cùm iter faceret, ſigno Crucis monſtra placauit, concluſit ora frementium beſtiarum ferarum ferocium. Act. 5. Heb. 11. Act. 9. Eccl. 35. Dan. 14.

Sed, & hoc mirabile in oculis noſtris, deſcendit mare in nauibus, fecit operationem in aquis multis, itavt viſa fuerint opera Domini, & mirabilia eius in profundo pręſertim dum ſtaret ſpiritus procellæ, & eleuarentur fluctus eius nam ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius, Surgens imperauit mari, & facta eſt tranquillitas magna, ſignum Crucis opponens procellis ſonantibus. Pſ. 117. Pſ. 106. Matt. 8. Iob. 28.

Ve-

Ps.138. Verum, quam terribiliter magnifica-
Luc. 18. tus ſit, & mirabilia opera eius, anima mea cognoſcat nimis, memoratus ſum quali virtute, quanta fide, ſtans à longe, & procul aſpiciens, flammas ignium repreſ-
Ps. 82. ſerit, cum.n.ſicut ignis qui comburit ſiluam, & ſicut flamma comburens, montes inualeſceret incendium, iamque fratrum vineas inuaderet, Bertrandus
Heb.11. ſigno Crucis extinxit impetum ignis,
Cant. 8. Dan. 3. quem aquæ multæ, vel flumina non potuiſſent obruere, quare neque vineas tetigit, neque Religioſos fratres contriſta-
S. Cipri. Epiſt. ad Mar. & conf. uit; quod vidit admirans prȩſentium multitudo.

2.Re.12 Quæ ſi parua vobis videntur, adijciam multò maiora, Effudit de ſpiritu
Ioel. 2. ſuo ſuper carnem eius Dominus Pro-
Ps.50. phetarum, & prophetabat, incerta, & oculta ſapientiȩ ſuæ manifeſtauit ei; Sci-
Eph. 3. re etiam, ſupereminentem ſcientiam,
Ps.93. cogitationes hominum, vt vel ſic educe-
Ps.39. ret eos de lacu miſeriæ, & de luto fœcis, quos corripiebat iuſtus in miſericordia, & increpabat de ocultis ſuis, & emunda-

dabantur à delicto maximo.

Neque strictim pretereunda est recor datio, facti illius magnitudinis; Cum vir Dei esset in loco sancto populo Euan gelizaturus, & iam gradum ligneum ascenderet ad loquendum; Accepit enim a Deo responsum, voce ad eum, delapsa, & posuit verbum in ore eius, & mutauit verba illius; Tunc vir Beatus audiuit quid loqueretur in eo Dominus Deus quoniam loquebatur pacem in plebem suam, vt conuerterentur ad cor, duo potentes in seculo viri famosi, publicè habentes concubinam, & posuit os suum vt gladium acutum, & repletus Spiritu Sancto, loquutus est verbum Dei cum fiducia, non timens a facie iniquorum, qui venerant, vt audirent eum; etiam si appropinquarent super eum nocentes, vt ederent carnem eius. Prędicauit Regnum Cœlorum non tacuit vitia eorum, vt ipsa potius eis displicerent, quam medicus, à quò curabantur; Verum huic curationi eius, ingratus quidam, tanquam multa febre phreneticus, insaniens in

S. Amb. de virg. lib. 3.
2. Pe. 1.
Mac. 24.
Esd. 8.
2. Pet. 1.
Nu. 23.
Deu. 16.
Ps. 84.
Gen. 6.
Iud. 19.
Isa. 49.
Act. 4.
Luc. 6.
Ps. 26.
S. Aug. in Ps. 63.

medicum, qui venerat curare eos, ex-
cogitauit consilium perdendi hominem
Ps.2. Dei, & de pulpito præcipitasset in furo-
Ps.17. re suo. Sed diuinitus ignis, à facie Bea-
ti exarsit quo circa perterritus ille ne-
Mat.18. quam conuersus est de via sua mala, &
Io.3. ab iniquitate, quę erat in manibus suis,
Mat.12. & pœnitentiam egit in prædicatione ser-
ui Dei.

Mat.1 Bertrandi prædicatio sic erat, exalta-
Isa.58. bat quasi tuba vocem suam, annuncia-
Deut.32 bat populo suo scelera eorum, vt educe-
ret mel de petra, oleumq; de saxo duris-
Ps.103. simo. A voce tonitrui eius formida-
bant conterebantur, conuertebantùr,
Ps.118. nam ignitum eloquium eius vehemen-
Io.6. ter, verba vitæ æternæ habebat. Quare
ad eum conueniebant omnes, qui erant
1.Re.22 in angustia constituti, & amaro animo,
Mat.11 confugiebant ad eum omnes qui labora-
bant, & onerati erant, vt eos reficeret,
Luc.4. Omnes qui habebant infirmos varijs lan
guoribus, veniebant ad eum, At ille sin-
gulis, manus imponens, curabat omnes
Mar.16 Super ægros manus imponebat, & bene
ha-

re sectatorem humilitatis, & sic in occulto in Ecclesijs benedicebat Dominum, ne dum Dominum benediceret, benediceretur, & ipse ab hominibus. Tit. 2. Ps. 67.

Quis æque deuotè, ac Beatus iste iuuenis, elegit abiectus esse in domo Dei, magis quã habitare in tabernaculis peccatorum? Quis tam diluculò, terrenarum rerum cupiditates, & omnem ornatum seculi contempsit, propter amorem IESV CHRISTI, quem amauit, in quem credidit, quem dilexit? Quis maiori ardore succensus, à Spirito sancto vocatus, Ordinis Prædicatorum institutum suscepit? Concupiuit anima eius desiderare iustificationes Dei in omni tempore, habitare in domo Domini, Dominico Sancto Duce, omnibus diebus vitę suæ. Audiuit Dominus, & distulit, vt desideria dilata crescerēt, & crescentia caperent, quod concupissent. Tunc desiderium animæ eius, tribuit ei Dominus, & voluntate labiorum eius, non fraudauit eum, qui diligebat decorem domus suæ, pręuenit eum in benedictionibus dulcedinis, dulcis, & rectus Ps. 83. Ps. 118. Ps. 26. Ps. 77. S. Greg. PP. ho. 25. in Euang. Ps. 20. Ps. 25. Ps. 20. Ps. 24.

Do-

habebant, infirmus, infirmos curabat, Enimuerò dederat illi Dominus, claritatem hanc magnam, vt meruerit in vita sua infirmos curare Dæmones effugare, etiam mortuos suscitare.

Sed qui Dei virtute mortuos suscitabat, pro Christo occidi, & mori, atque amore amoris eius, qui animam suam posuit pro ouibus suis, & pro grege suo mori dignatus est, inter sæuissima tormenta animam suam dare ardebat desiderio. Ea propter amoris eius igne succensus, & Martyrij cupiditate flagrans. Illa verba per singulos dies pronunciare solebat, quibus Beatus Petrus Martyr orasse traditur, dum inter Missarum solemnia Sacramenta corporis, & sanguinis Domini eleuabat. Da mihi Domine pro te mori, qui pro me mori dignatus es. Frequenter ex abundantia cordis os loquebatur, quòd tormentis applicatus dixit Beatus Leuita Vincentius; Jo.10. Mat.17.

Hoc eſt quod ſemper optaui, & votis omnibus exquiſiui, & interim erumpebant lacrymæ, nec poterat ſe continere. Illud itidem conſueuerat dicere, quis nobis det, vt pro Chriſti amore catenis vincti traheremur ad carceres, raperemur ad cuſtodias? O quàm dulciter guſtaremus, quàm ſit bonum, quàm iucundum; quam ſuaue pati pro Chriſto. Intelligeremus vtique, quod ſanctiſſimi Apoſtoli Chriſti, diſcipuli ſunt experti; dum ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. Vtinam dignum ſibi Dominus computaret martyrem, & ſatellites præcincti atris legibus, ferro, & catenis cogerent. Orarem, vt eſſent mihi crudeles ad ſupplicia, impij ad interitum, & ſic calicem ſalutaris, quem daret mihi pater, cum iucunditate biberem. Biberem vinum meum cum lacte meo, biberem, & inebriarer. O Calix inebrians, & præclarus Calix benedictionis, omni ſuauitate repletus.

Ge. 45. *Act. 5.* *Prud. in perist.* *Ps. 115.* *Io. 18.* *Cant. 5* *Ps. 22.*

O ſan-

O ſanctiſsima anima, quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrij non amiſit, ne floribus eius, roſæ aut lilia deſint. Vidimus .n. martyrio animum non defuiſſe; & ſcimus Beatum Ludouicum, bibiſſe calicem confeſſionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet perſecutor non ſuderit ſanguinem, & Beatus Ioannes Apoſtolus Romæ in feruentis olei dolium miſſus, etſi purior, & vegetior exiuerit quàm intrauerat.

Sen. Iul. de s. Ma.

Bed. ſer. 18. de ſanct.

S. Hier. lib. 3.

Calicem quidem Domini potauit: Sed vbi? aut quomodo? aut quando? Apud impios, & infidos, dura ceruice incircumciſis cordibus, & auribus Spiritui ſancto reſiſtentes; mortiferum quid bibit; feralis poculum crudelitatis propter odium veritatis, ac propterea tenebatur magnis febribus, Dum zelo zelaret pro Domino Deo Iſrael, ad ſuſcipiendos eos de via iniquitatis eorum, erat enim cor eorum obcœcatum, vt deſerta luce conſilij pietatis à Dæmonibus eluſi, diuinationem mendacem cre-

S. Amb. in Pſ. 118. ſer. 21.

Act. 7.

Mar. 16

S. Aug. ſer 116

Luc. 4

3. Reg.

Pſ. 105.

Mar. 6.

Aug. in Pſ. 63.

[illegible] 13

derent, & ſibi perſuaſum haberent vanū quid; nempè oſſa arida, cuiuſdam antiqui
Nr. 29. Idolorum ſacerdotis, quibus etiam ſolemnitates celebrabant, ſi quandoq; ab eis ſublata fuiſſent, continuò maxima omniū
Luc. 33. iactura cœli caderent ſuper eos: Abſtulit ergo ea, Zelator veritatis Bertrandus, vt pariter auferret velamen ab oculis eorum & intelligerent vanum eſſe, & mendax, quod Diabolica fraude peruulgatū erat,
S. Aug. ſer. 116. At illi in impietate obſtinatiores, non potuerunt æquo animo tolerare, quod homo Dei ſanctè monebat, qui vtiq; ſalutē eorum quærebat, quos ſic monebat; Reſponderunt ei mala pro bonis: nihil tamen obtinuit, nihil profecit ſæua crudeli-
S. Leo PP. de S. Lau. tas: Nam diuina ſe protegente gratia, dum ſerpentem expuit, iuxta teſtimo-
Pſ. 18. nium Domini fidele, vim virtutis ſuæ
Deut. 32. amiſit, venenum aſpidum inſanabile, &
Luc. 13. ita dimiſſus fuit ab infirmitate illa, neq;
Pſ. 28. præualuerunt operantes iniquitatem.

Aliàs (, ò maxima vis zeli Dei in ſeruo ſuo) ad confirmandam fidem apud Indos, & Regulum quendam cum po-

pulo

pulo ſuo, Domino procreandum, venenum ſumere non dubitauit, rationabili obſequio exhibens corpus ſuum, hoſtiam viuentem ſanctam, Deo placentem. Ro.12.

Nam de cæteris eius virtutibus quid loquar? ſolitudinis fuit amantiſsimus; corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legēdi ſtudioſior, copioſus in miſericordia, intelligebat ſuper egenos, & pauperes, manū ſuam aperiebat inopi, & palmas ſuas extendebat ad pauperem, Quantæ in vno homine ſpecies virtutum emicant? Sed illa in primis & præcipuè orationis aſſiduitas: non .n. diebus, neq; noctibus ceſſabat à colloquijs diuinis, ſed oculis, ac manibus in Cœlum ſemper intentus, inuictum ab oratione ſpiritum non relaxabat. In qua ex conſortio ſermonis Dei, & præſertim dum ſacramenta offerret (non ambigens dico) nam teſtimonia eius credibilia facta ſunt nimis, candidus Nazareus, ſplendorem Dei dedit, coruſcationes à facie eius.

S. Amb. lib. 2. de Virg. — Pſ.129. — Pſ.40. — S. Amb. lib. 2. de Virg. 10 — Seu. Sul. de San. Mart. — Exo.34. — Pſ.92. — Pſ.96.

Sæpe loquebatur Deus in viſione ſancto ſuo, ſanctorum apparitionibus di- Pſ.88.

gnabat

gnabat eum, dulcorabat amaritudinibus repletam animam eius: lætificabat cor illius, consolabatur dilectum suum.

S. Greg. PP. ho. 37. in Euang. S. Thom. opu. 57 Mar. 16 Luc. 5.

Quę enim lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, immensam in eo diuinæ largitatis abundantiam, dum valde mane, vna dierum, ei apparere dignatus est Christus Dominus, sicuti pro nobis in Cruce pependit? Quomodo credendum est, quod transfixerit tunc medullas, & viscera animæ eius, suauissimo, ac saluberrimo amoris sui vulnere?

Bonau. in orat. postcom.

Io. 5.

Erat dies festus Sanctorum Angelorum, & tunc à sacris matutinis precibus reuertenti, apparentibus intra claustrum Sanctis Dei, Dominico, & Francisco, statim vir beatus amplexus est Francisci vestigia, & deuotissima supplicatione, beatis illius pedibus prouoluebatur, tenebat eum nec dimittebat.

S. Ber. se. in c. 12. Apoc.

S. Aug. ser. 44. de Sanc.

Osculabatur dexterum pedem eius, mirabiliter affectus in plaga illius, Pater vero Sanctus Dominicus, dexteram

por-

porrexit ei, cui quàm deuotissimè, Bertrandus oscula infigebat.

Valentiæ erat insignis quædam, & venerabilis imago Deiparæ Virginis, quę sicut Sanctum Vincentium, ita Beatum Ludouicum alloquuta fertur.

Aliàs audiuit vocem dicentem sibi, remittuntur tibi peccata tua, & confestim corporali specie, sicut columbam ad se venientem vidit, immisso rostro in os eius mira iucunditate, & suauibus oblectamentis, repleuit spiritum eius. *Apo.14* *Luc.7.* *Io.pr.*

O quàm magnificatus est vehementer, Verè Domine, magnificata sunt opera tua in homine isto, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ, vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc: virtutem operum suorum, quis intelliget? Concludamus igitur, quod illum deceat hymnus in Sion, donec reddatur à nobis (quod faxit Deus) votum in Ierusalem. Interea cæteris prætermissis dicamus tantum, quàm mirabiliter migrauit à seculo, ad videndum in bonitate electorum *Ps. 103.* *Ps.91.* *Ps.110.* *Ps.18.* *Ps.64.* *S. Hier. l.pr. Co. in Matt.* *Ps.105.*

suo-

Isa.33. suorum Regem Regum in decore suo, in pulchritudine pacis, in tabernaculis fidu-
Isa.32. cię, in requie opulenta, quam cum ap-
Mat 21. propinquaret possidendam, & tempus fructuum iam aduenisset. Labores manuum suarum, vt manducaret, beatus
Ps. 127. iste, cui bene semper erit, & requiesce-
Apo.14 ret à laboribus suis, illiq; redderetur co-
2.Tim.4 rona iustitiæ, reposita in annos pluri-
Luc. 12. mos; obitum suum longè ante prę sciuit, prædixit, atque pronunciauit.

3.Re.17 Ægrotauit vir Dei; & erat languor fortissimus, dolor vehemens, in quo illa tantum vox audiebatur, Domine hic vre, hic seca, vt in æternum parcas, Domine hic non parcas, vt in ęternum parcas, Domine auge dolorem, dummodo augeas, & patientiam, obtestans (ò mira dictu, sed vera dictu) nulla mundi bona ęquè sibi esse, ac dolores illos. Coram cœleste viatico, morbo ingrauescente, totis visceribus exquisiuit, ne mortis sententiam reuocaret, Dominus vitæ,
Apoc.1. & mortis, habens claues mortis, & inferni sub sacrosanctis accidentibus occulta-

tus nec tamen destitit quantum potuit, quotidie sacramenta peragere, uel saltem communicare.

Quinimò cuidam Religioso benignè sibi suadenti, ne morte imminente, Missę diuinum sacrificium consurgeret celebrare, respondit (dignam tanto viro sententiam) Sacramenta non occidere, sed viuificare. S. Hier. in com. ad Gal.

Vitæ asperitatem, quam perpetuò coluit, ad finem vsque seruauit, neque morti proximus mitigauit, quare lanea tunicella carnibus applicata, diem suum claudere concupiuit. Deut. 31

Cœlum cum gaudio suspiciebat, qui cœlorum mox sublimia penetraturus erat. S. Leo PP. de Ascen.

Ad instar radiorum Solis, splendor illuxit de cubili suo in quo iacebat.

Odor corporis eius super omnia aromata, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus, ex odore vnguentorum Cant. 4. Gen. 27. Cant. 1.

 animæ

Cant. 3. animæ suæ, quę parabatur ascendere si-
cut virgula fumi, ex aromatibus myr-
rhæ, & thuris coram dilecto suo. Et si-
2. Re. 10 cut altera Regina Sabba, afferens aro-
mata multa nimis Regi suo sicq; Chri-
2. Cor. 2. sti bonus odor, foret in omni loco, odor
vitę in vitam.

Nocte, quæ præcessit eius transitum gloriosum in signum, quod transiturus
Io. 13. erat ad patrem, speciosa quædam anima, multumq; decora in cœlum ferri visa est,
Apo. 4. & in capite eius corona aurea, quæ duorum Angelorum ministerio honorificentissimè amicabiliter fulciebatur.

Cœli aperti visi sunt super cellulam
Ps. 18. eius, & ipsę tamquam sponsus proce-
Isa. 35. dens de thalamo suo, lætabundus, & lau-
S. Fulg. serm. de S. Stef. dans de ergastulo carnis ad cœlestia regna vocatus, euolauit in cœlum.

Quem susceperunt Angeli, Throni,
Dan. 12 Dominationes, & Virtutes, vt regnet in
Eph. 2. perpetuas æternitates, ciuis sanctorum,
Rom. 8. & domesticus Dei, hæres quidem Dei, cohęres autem Christi, vt sedeat cum
1. Re. 2. principibus, & solium gloriæ teneat, in-

ter filios Dei, & inter Sanctos, Vt sit glo- *Prou. 10.*
ria Patris sui magni Patriarchę Domini- *15.*
ci, filius iste sapiens, & lætitia Matris suæ
tantę Religionis.

O verè diuina Dominicana progenies, Prædicatorum Gymnasium, Doctorum cuneus, morum Magistra, Pœnitentium scola, Contemplantium specula, sanctorum Nutrix, Viridarium Paradisi.
Quam sic honor diuinæ dignationis il- *Beda ser.*
luminat, vt sit similis homini Patri fami- *18. de Sanct.*
lias, qui profert de thesauro suo noua, *Mat. 13*
& vetera, cœlestis namq; agricola, omnia *Can. 7.*
poma noua, & vetera seruauit ei. Fidem Petri inclyti martyris, qui primus è prędicatorum familia, Sanctam Ecclesiam prætioso sanguine purpurauit, & Apostoli Petri, nominis, & fidei hæres fuit. Doctrinam Angelicam Thomæ *Eccl. 39*
Aquinatis, quæ vsque in sæculum non delebitur, sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enunciabit Ecclesia. Prædicationes Apostolicas Vincentij Confessoris, qui velut imbres mittebat eloquia sapientiæ suæ, mel, & lac sub *Cant. 4*

 lin-

Prou. 5. lingua eius, fauus distillans labia eius. Vi-
gilantiam magni Præsulis Antonini, hu-
ius floridæ Vrbis primi Archiepiscopi,
Eccl.45. cuius memoria in benedictione est, & me
Eccl.24. moria eius in generatione seculorum. Cu
ius sacrum Corpus, cœlebris hæc sacro
sancta Ecclesia, se possidere congaudet,
thesauro ditata pretioso; Gemma ornata
fulgida, firma suffulta columna, Insigni
decorata honore, micanti lumine ful-
gens. Vt dimittam Hyacintos, Raymun-
dos, & innumera eiusdem sacri Ordi-
nis, tam virorum, quam mulierum, præ-
S. Leo. clara germina, quæ, etsi vetera, semper ta
PP. ser. men, & vbique, longè lateq; , sicut dede-
1. de S.p. P. Cant. 1. runt, ita, & dabunt odorem suum, odo-
Gen.8. rem suauitatis, & sanctitatis, odorem sua-
Leu.1. uissimum Domino.

Sed en nouus, & benedictus fructus
Ps.126. eius, hæreditas Domini, filius, merces,
Mat.7. fructus ventris, fructus bonus, nam non
potest arbor bona, fructus malos facere,
Eccl.24. fructus honoris, & honestatis, fructus spi-
Gal.5. Isa.4. ritus, fructus terræ sublimis, fructus lu-
Eph.10. Ester.8. cis, filius lucis, noua lux, Gaudium no-

strum

ſtrum, honor, & tripudium, lux aurea, *Apo. 22.*
ſtella ſplendida, & matutina, Sol lucens *Iſa. 30.*
ſeptempliciter. Vir Beatus Ludouicus
Bertrandus, qui eum fortiter, totis viſceribus dilexiſſet Chriſtum Regem, in
ſplendoribus ſanctorum lucem habitat *Pſ. 109.*
inacceſsibilem, Iam Paradiſum poſſidet, *1. Tim. 6.*
en exultant Angeli, lætantur Archangeli, Chorus Sanctorum proclamat, Turba Virginum inuitat. Ipſum laudāt aſtra matutina, & iubilant omnes filij Dei. *Iob. 38.*

Cuius ſi experimentum quęritis, recolite cœleſtium pſallentium exercitus, An- *S. Io. Da.*
gelorum cantus, Angelicam hymnodiam *ſer. 2. de dor. Dei.*
ſicut citharœdorum citharizantium in ci- *Ap. 14.*
tharis ſuis; tempore funeris eius. Sic.n. decet, quem Dominus virtutum, & Rex
gloriæ voluit honorare, vt videret virtu- *Pſ 23.*
tem ſuam, & gloriam ſuam, maior fa- *Eſter. 6. Pſ. 26.*
ctus in regno cœlorum, amauit eum, or- *Matt. 5.*
nauit eum, ſtolam glorię induit eum, & ad portas Paradiſi coronauit eum, corona
aurea, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria *Eccl. 45.*
honoris, & opus fortitudis.

Quippequi, à prima vſque ad nouiſſimam

Mat. 20. mam vitę suę horam, strenuè, & sine intermissione laborauit in vinea Domini Sabaoth, fructum afferens trigesimum, sexagesimum, centresimum; A die exitus,
Eccl. 40. de ventre matris suę, vsq; ad diem sepul-
Sap. 4. Ps. 149. turæ in matrē omnium, placita fuit Deo
Ps. 27. anima illius, beneplacitum est Domino
Ps. 17. in seruo suo, benedixit hæreditati suę, super aquam refectionis in loco pascuæ, in
Ezec. 34 montibus excelsis, in pascuis vberrimis, in herbis virentibus super opera manuũ suarum, gloria, & honore coronatum, cō-
Ps. 8. stituit eũ in æternum, & in seculũ seculi.

Et hæc quidem vel pauca de multis, nō
1. Cor. 2. in humanæ sapientiæ verbis, impeditiori
Exo. 3. lingua, corde tamen magno, & animo
2. Mat. 1 volenti, sic. n. temporis ratio, & deuotio-
S. Leo. PP. ser. 2. de ieiuni. x. men. nis nostræ debitum in Beatum virum; & Dominicanę nostræq; familiæ fortis ad inuicē dilectio, amore præcipuo vinculo in-
Cant. 8. dissolubili, exigebat. Nec ego recusare valui, neque volui suaue præceptum, & onu leue, animus superauit opus, vires suppeditauit ad Dei omnipotentis gloriam, & Beati Ludouici honorem.

Cuius

213

Cuius glorificationi, ex Apostolico indulto, sicut hæc congaudet Ecclesia sic eius proponit sequenda vestigia; Ab eis, n. Sanctorum in veritate festiua gaudia celebrantur, qui ipsorum exempla sequuntur, & imitari non piget, quod celebrare delectat. Nec est qui nesciat sanctorum glorias, ad hoc diuino consilio, à Dei populis frequentari, vt & illis debitus honor dicetur, & nobis virtutis exempla (fauente Christo) monstrentur, Sic ergo solemnem hanc diem, (vt par est) ritè veneramur, ore & pectore, si dum Beati Ludouici pręclara merita, pio deuotionis affectu recensemus, & admiramur, admirabiles ipsi quoquè vitæ sanctitate reddamur. Vt per hunc, quem admirabilem prædicamus, Diuinæ sumamus Indulgentiæ largitatem, imitatione, & æmulatione. Amen.

S. Aug. ser. 44. de San. & ser. 47.

S. Io. Gr. ser. 1. de nat.

Prud. in perist.

S. Io. Gris. ser. de mar.

AD BEATVM LVDOVICVM.

Hymnus.

BEATE Pater Inclyte
Diem solemnem colimus,
Qui euexit te ad sidera
Christoq; ouantem reddidit.
Nunc Angelorum particeps
Colluces insigni stola,
Nunc post labores exiles
Gaudes, corona Gloriæ.
Exurge, & almis cœtibus
Exurge securus tui,
Nos Ludouice propera
Tibi sodales addere:
Paulisper huc tu illabere
Christi fauorem deferens
Sensu grauati, vt sentiant
Leuamen Indulgentiæ.
Adesto nunc, & percipe
Voces præcantum supplices
Nostri reatus efficax
Orator ad Thronum Patris.
Cum quo simul, & Filio
Vna cum Sancto Spiritu
Per tua sancta merita,
Nobis sint vera Gaudia.
Amen.